



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 3. Duo amores duo sunt fontes ex quibus omnis nostra affectio
derivatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

§. III.

Duo amores duo sunt fontes ex quibus omnis nostra affectio derivatur.

Sicut autem ex illo naturali beatitudinis amore, uti dictum est, causantur omnes aliæ voluntates; nempe naturales, ita ex hoc Dei seu justitiæ amore nascitur omnis voluntas supernaturalis; adeò ut hi duo amores duo sint fontes ac duæ radices ex quibus omnis nostra alia affectio seu animi motus exoritur. *Nihil vult voluntas, Lib. de conc. grat. & lib. arb.* *quæ est instrumentum, ait S. Anselmus, nisi aut commoditatem aut rectitudinem: quidquid enim aliud, aut propter commoditatem aut propter rectitudinem vult.* Propter quod ex his duabus affectionibus procedere dicit merita hominum sive ad salutem, sive ad damnationem. Amor naturalis est affectus *L. de parad. anime c. 1.* naturæ, & ut loquitur Albertus Magnus, *Semper se super se ipsum reflectit, & proprium suum commodum querit.* Alter amor affectus est gratiæ, & in omnibus Deum quærit & intendit. Hinc est illud famosum inter naturæ & gratiæ motus discrimen de quo alicubi Thaulerus: *Amor divinus, inquit, & naturalis in externis actibus simillimi sunt, quemadmodum duo pili capitis unius,* *Serm. 2. in dom. quad.*
sed

sed intentio intus planè dissimilis est. Spiritus bonus & amor divinus corde sursum erecto ac tendente palam & in occulto, non nisi Dei gloriam semper intendit, quærit, appetitquè: Amor verò naturalis seipsum jugiter spectat & amat. Cui conformiter Thomas à Kempis opusculo de Imitatione Christi, jure uti ait Bellarminus, in tota Ecclesia summo omnium consensu, recepto & frequentato: *Natura callida est, inquit, & multos trahit, illaqueat & decipit, & se semper pro fine habet: sed gratia simpliciter ambulat, & ab omni specie mala declinat; fallacias non præterdit, & omnia purè propter Deum agit, in quo & finaliter requiescit.*

Uti autem hominem Deo subjici necesse est, ita & istum naturæ appetitum gratiæ affectui oportet subesse, ab eoque regi, & ad debitum finem, hoc est Deum dirigi. Hinc Deus cum hominem à se factum utroque amore donaret, simul condens naturam, & largiens gratiam; sic ait S. Anselmus: *Ordinavit has duas voluntates, sive affectiones, ut voluntas, quæ est instrumentum uteretur eâ quæ est justitiæ ad imperium & regnum, & altera uteretur ad obedientiam sine omni incommoditate: Ut proinde homo sic institutus sit, ut justitiæ affectu quo Deo inhæreret, naturæ appetitum*

petitum regeret, & juxta justitiæ leges moderaretur, ejusque motus in Deum ut finem referret. Cum enim naturæ appetitus, ut dictum est, omnia velit & agat propter se, aliud non est omnem naturæ motum in Deum dirigere quàm justitiæ affectu Deum in quem se ordinat, ut finem diligere: nam ut rectè S.

Thomas, *Cum aliquis se ipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus quæ propter se ipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis.* q. q. disp. q. uni. de cha. a. 11. ad 2.

Hinc ex illa prima hominis institutione debet quisque, sicut ejus nos commo-
nefacit Apostolus, sive manducet, sive bibat, sive aliud quid faciat, omnia in gloriam Dei facere. De char. a. 11. cod. 2. 1. Corinth. c. 10. v. 31.

Illo itaque justitiæ affectu jam opus est, ut homo rectè, hoc est, sicut ex sua institutione debet, per naturæ appetitum quidquam velit aut operetur. Hinc amisso per peccatum justitiæ affectu, de appetitu naturæ loquitur S. Anselmus, *Voluntas etiam commodi condita bona in quantum est aliquid, mala, id est injusta facta est, quia non est subjecta justitiæ, sine qua nihil velle debet.* Lib. cit. Et paulò post: *Quapropter cum nihil velle debeat nisi justè, quidquid vult sine rectitudine, vult injustè.* Tametsi enim volitioni ejus alia inordinatio non inesset, hoc contra

ritus bo-
ac ten-
gloriam
nor verò
. Cui
usculo
Bellar-
nium
: Natu-
t, illa-
bet: sed
i specie
& om-
finaliter

ici ne-
ppeti-
te, ab
, hoc
homi-
naret,
as gra-
vit has
luntas,
st justi-
teretur
e: Ut
justi-
æ ap-
titum

tra Dei institutionem est, ac per hoc injustum, quòd in illa homo se sistat, & non per justitiæ amorem ad altiorem finem eam dirigat. Ex illo proinde justitiæ seu Dei amore adest homini potestas benè & sicut oportet operandi, quam perdidit, *Cum*, ut loquitur Gregorius, *Lib. 8. mor. seductoris verba audiens, à Conditoris amore dis-*
cap. 14. cessit. Propter quod à Cælestino Papa dictum est: *in prævaricatione Adæ omnes homi-*
Epist. pro nes naturalem possibilitatem & innocentiam per-
Prosp. & didisse. Quia nempè justitiam Dei que
Hilar. c. 4. amorem, quo donatus fuerat, sibi & nobis omnibus peccando amisit, Quo amisso per naturæ vigorem bonum aliquod opus sicut oportet aut expedit, non solum perficere non possumus, sed nec incipere.

§. I V.

In quo S. Augustinus & alii contra Pelagianos præcipuè vim fecerunt.

HÆc ergò benè operandi potestas homini redditur, in quantum per **C H R I S T I** Mediatoris nostri gratiam, amissa justitiæ dilectio ei restituitur. Hoc quia Dei per **C H R I S T U M** gratiâ in nobis fieri necesse est, sicut sine ista dilectione
 ita